

## S. CALLISTUS I

## PONTIFEX ROMANUS ET MARTYR

## NOTITIA

(Mansi, *Concil.* I, 735, ex Libro pontificali Damasi papæ. Vid. *Patrologiæ Latinæ* tom. CXXVII, col. 1317, in Anastasio Bibliothecario.)

Callistus (1) natione Romanus, ex patre Domitio, de regione urbis Ravennatum, sedit annos 5, menses duos, dies 10 (2). Fuit temporibus Macrini et Heliogabali, a consulatu Antonini et Alexandri. Hic martyrio coronatur (3). Hic constituit (4) jejunium quater in anno fieri, frumenti, vini et olei gratia, secundum prophetiam. Qui sepultus est in cœmeterio (5) Calepodii, via Aurelia, milliario tertio (6), pridie Idus mensis Octobris. Hic fecit ecclesiam sanctæ Mariæ trans Tiberim. Et fecit aliud cœmeterium via Appia, ubi multi sacerdotes et martyres requiescunt, quod appellatur usque in hodiernum diem cœmeterium Callisti. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembrem, presbyteros 16, diaconos 4, episcopos per loca 8. Quievit episcopatus dies 6.

(1) *Callistus*. Post interregnum 6 dierum, ii die Septembris anno Dominicæ incarnationis 221, qui est Antonini Caracallæ secundus, pontificatum gubernandum accipit Callistus, patria Romanus, vigilantissimus Ecclesiæ pastor, miraculis et sanctitate clarus, qui Privatam ulceribus plenum precibus sanavit. Vide Baron. anno 220. Sev. Bix.

(2) *Sedit annos 5, menses duos, dies 10*. Cum sub Alexandro imperatore, anno imperii illius tertio, qui est Christi 226, pridie Idus Octobris martyrio affectus sit, ut ecclesiasticæ tabulæ referunt, quinque quidem annis, sed uno duntaxat mense, et diebus 12 sedisse invenitur. *Id.*

(3) *Hic martyrio coronatur*. De martyrio Callisti Romanum Martyrologium hæc continet: *Romæ, via Appia, natalis beati Callisti papæ et martyris, qui Alexandri imperatoris jussu diutius fame in carcere cruciatus, et quotidie fustibus cæsus, tandem e fenestra domus, in qua custodiebatur, præcipitatus, atque in puteum demersus, victoriæ triumphum promeruit*. Sed cum Alexander imperator, teste Lampridio in *Alexandro*, Christianam rem non solum non læserit, sed potius plurimum promoverit; Christum inter deos habuerit, eique matutinis horis in larario suo rem divinam fecerit, ac, nisi oraculis deorum dissuasus fuisset, templum eidem erigere decreverit, Christianorum moribus delectatus fuerit, eos provinciarum rectoribus imitandos proposuerit, iisque demum, popinariis expulsis, ad conventus faciendos publicum locum, ex quo olim, regnante Augusto, Christo in Bethlehem nascente, oleum scaturiit, concesserit, ac ibidem per Callistum pontificem templum in honore partus virginici consecratum erigi permiserit: hæc, inquam, voluntate optima cum erga Christianos affectus fuerit, Callistum pontificem non ipsius Alexandri imperatoris expresse jussu ac decreto, sed potius consilio ac decreto jurisconsultorum, et imprimis Ulpiani, quem Christianis, velut sacrilegis, infestissimum fuisse, ex Lactantio Firmiano lib. v, c. 11 et 12 constat, occisum fuisse verius esse putavimus. Hic enim,

A teste Lampridio ibidem, Alexandri imperatoris tutorem egit, principi primo loco assedit, præfecturam prætoriam, dignitatem amplissimam, imperatoris concessu administravit, ac scriniorum magister exstitit, adeo ut hujus arbitrio pene cuncta imperator faceret, dicereturque jussu Alexandri accidisse, quod mandato et consilio solius Ulpiani factum fuerat. De quibus vide Baron. anno 225, num. 1, 2, 3, 4, etc.; item anno 226, n. 4. *Id.*

(4) *Hic constituit*. Hoc decretum exstat epistola ejus prima. Vide quæ dicemus in notis ad illam epistolam. *Id.*

(5) *In cœmeterio*. Cœmeteriorum, quorum in vitis pontificum apud hunc auctorem diversis in locis mentio sit; quadraginta tria recensentur a Baronio anno Christi 226, num. 8 et 9. Nominantur autem cœmeteria illa loca, in quæ Christiani suorum defunctorum corpora unguentis delibuta sepelienda delerebant: appellabant autem ea loca cœmeteria, quod fides doceret, Christianos non mori, sed rursus excitandos, interea in Domino obdormire. Tertullianus *De corona militis*. Hæc alibi nominantur interdum arce, tumbæ, catatumbæ, et ex natura loci, cryptæ arenariæ. His in locis Christianorum duntaxat, non autem ethnicorum gentilium defuncti sepeliabantur, ideoque diebus Dominicis a Christianis frequentari solebant: quod deinceps aliorum imperatorum edictis vetitum, aliorum vicissim Christianis concessum. Vide Baronium anno 130, n. 2; anno 226, n. 10 et 11; anno 260, n. 17; 258, n. 7; item 262, n. 77 et 78. *Id.*

(6) *Milliario tertio*. Ab Urbe nimirum: lege enim 12 tabularum, teste Cicer. *De leg. lib. ii*, vetitum fuerat, defunctum intra mœnia sepelire. Hæc igitur lege cogebantur etiam Christiani suos mortuos extra mœnia sepelire, nisi forte quis clanculum (quod sæpius accidit) cadaver martyris sustulisset, ac in domo propria sepelisset. Sub Christianis imperatoribus sanctorum ossa in ecclesias translata sunt. Baron. anno 226, n. 7 et 12.



## NOTITIA ALTERA.

(D. CONSTANT, *Epistolæ Rom. pont.*, tom. I et unic., p. 114.)

Post Zephyrinum Callistus, qui et ab Optato et Augustino *Calixtus* nuncupatur, anno Heliogabali primo, circa initium anni Christi 219 ordinatus, quinquennio non penitus elapsō, anno 223, Octobris xiv die, quo et festum ejus colitur, martyrio vitam finivit<sup>1</sup>. In Eusebii *Chronico* simpliciter quinque pontificatus anni ei tribuuntur. In catalogo autem Bucheriano, cui et pontificalis suffragatur liber, annos 5, menses 11, dies 10 Ecclesiam gubernasse adnotatur. Sed non cohæret sibi prædictus catalogus, ubi Callisti episcopatum a consulatu Antonini et Adventi usque Antonino III (leg. IV) et Alexandro, hoc est ab anno Christi 218 ad 222, definit. Neque etiam id, quod in libro Pontificali habetur, *Fuit temporibus Macrini et Heliogabali a consulatu (leg. ad consulatum) Antonini et Alexandri, cum Eusebii seu Chronico seu Historia concordat. Utrobique enim Heliogabalo in Macrini demortui locum imperante, et Zephyrinus obiisse, et Callistus Ecclesiæ regimen suscepisse memorantur.*

*De decreto, et epistolis Callisto ascriptis.*

1. Si vulgato Pontificali libro habenda fides, Callistus constituit jejunium quater in anno fieri, frumenti, vini et olei gratia, secundum prophetiam. In Fossatensi ms. nunc bibliothecæ Colb. cum quo et alter reginæ Suecorum apud Bolland. tom. I April. propil. consentit, idem decretum sic enuntiatur: *Hic constituit jejunium die Sabbati ter in anno fieri, frumenti, vini et olei, secundum prophetam, quarti mensis, septimi et decimi. Lectionem utramque perinde componit Isidorus Mercator, ac si legisset: Jejunium, quod ter in anno fieri solebat, quater fieri*

<sup>1</sup> Euseb. lib. vi cap. 21.

constituit. Ita enim eum scribentem inducit: *Jejunium, quod ter in anno apud nos celebrare didicisti, convenientius nunc per quatuor tempora fieri decernimus.*

2. Quatuor anni temporibus feria quarta, sexta et Sabbato jejunandi morem in Ecclesia Romana saltem quinto sæculo generaliter receptum esse Leonis sermones fidem faciunt. Hunc autem morem a legalibus institutis desumptum etiam apud Christianos apostolica auctoritate perseverasse, idem Leo docet. Unde merito, inquit serm. 9 de jejunio decimi mensis, *disposuerunt apostolicæ sanctiones, ut veterum jejuniorum utilitas permaneret: et licet Ecclesiæ consuetudo prolixioribus se castigationibus exercere didicisset, amplecteretur tamen continentiae sanctificationem ex lege venientem: quibus enim donatum erat posse quod majus est, indecens fuit non celebrare quod minus est. Et serm. 8 de jejunio septimi mensis, c. 3 ait: Licet tempus omne (jejunii) sit congruum, hoc tamen habemus aptissimum quod et apostolicis et legalibus institutis videmus electum. In sermone autem 4, c. 2, hoc jejunium generale ac totius Ecclesiæ esse tradit: quod saltem de Romana intelligendum. Quocirca serm. 3, c. 2, de eodem prædicat: Jejunium vero, quod universa Ecclesia suscipit, neminem a generali purificatione sejungit; et tunc fit potentissimus Dei populus, quando in unitatem sanctæ obedientiæ omnium fidelium corda conveniunt.*

3. Callisto Isidorus Mercator duas supposuit epistolas, genuino parenti aliquando cum reliquis ipsius scribitur reddendas.

## ACTA S. CALLISTI PAPÆ MARTYRIS ROMÆ.

(Acta Sanctorum Bolland., Octobris tom. VI, die 14, p. 401.)

### MONITUM.

Callistiani martyrii Acta, cum variis vetustisque mss. collata, magnam partem jam pridem edidit, ac Commentario illustravit Henschenius tom. II Maii, ad diem ejusdem mensis decimum, pag. 498 et seqq. quatuor; non quidem integra, sed eatenus tantum, quatenus SS. Calepodii, Palmatii, Simplicii, Felicis, Blandæ aliorumque martyrum, de quibus illic agebat, gesta continebant; omissa parte reliqua, qua reliqua S. Callisti gesta et S. Asterii, qui S. Callistum tumulavit, et Privati militis martyrium explicatur.



Dabimus hæc integra ex eodem, quo usus est Henschenius, manuscripto. Credit Henschenius Acta hæc per notarios Romanos fuisse conscripta; secutus, ut opinor, quæ in fronte Ms. leguntur, verba, quæ sunt hujusmodi: « Gesta præclara S. Calixti papæ et aliorum martyrum conscripta per notarios Romanos; » sed nimium facile: neque enim ea simplicitate, quæ primigeniis sincerisque martyrum Actis propria est, sunt prædita, neque nævis carent qui imputari notariis Romanis nequeant: unde nescire se Sollerius ait in Observatione ad laterculum Usuardinum diei decimi mensis Maii, quid movere Henschenium potuerit, ut in eam abiret sententiam.

At quanquam a notariis Romanis ea Acta conscripta non fuerint, magnæ tamen sunt antiquitatis, ut quæ Bedæ, Adoni, Rabano, qui ipsismet eorum non raro verbis utuntur, præluxere, uti facile fatebitur is, qui eorum textus, quibus de Sanctis Martyribus in Actis S. Callisti memoratis agunt, consuluerit, cum Actisque contulerit: nec enim dici potest, non ex Actis Martyrologorum Annuntiationes, sed ex his Acta fuisse conflata; quod vel ex Bedæ verbis, Callistiana Acta citantis, refellitur. Posteaquam enim ad diem x Maii hæc de SS. Calepodio, Palmatio et Simplicio scripsit: « Romæ Natale Calepodii senis presbyteri, sub Alexandro imperatore, qui eum fecit occidi a Laodicio, et corpus trahi per civitatem atque in Tiberim jactari die Kalendarum Maiarum. Quod inventum piscatores levaverunt, et narraverunt Calixto episcopo. At ille acceptum condidit cum aromatibus et linteaminibus, et sepelivit eum in cœmeterio ejusdem via Aurelia, milliario ab Urbe tertio vi Idus Maii. Tunc decollatus est ab Alexandro Palmatio consul cum uxore et filiis et aliis quadraginta duobus (cum quibus et Simplicius senator) qui per doctrinam Calixti papæ et Calepodii presbyteri nuper fuerant baptizati: » mox addit: « Scriptum in Passione S. Calixti papæ. » Et vero, quam hæc Bedæ cum Actis verba conformia sint, vide: de Calepodio quidem num. 8 leges: « Quem fecit (Alexander) occidi gladio et corpus trahi per civitatem sub die Kalendarum Maii: cujus corpus jactari fecit in Tiberim . . . Quod inventum levantes (piscatores) de flumine, renuntiaverunt B. Calixto episcopo . . . quod corpus sanctum acceptum condidit cum aromatibus et linteaminibus et cum hymnis, et sepelivit eum in cœmeterio ejusdem, sexto Idus Maii. » De Palmatio vero num. 3: « Baptizavit (Callistus) autem et omnem domum Palmatii et uxorem et filios promiscui sexus quadraginta duos. » Rursum ad diem xiv Octobris de S. pontifice Beda: « Natale S. Calixti papæ: qui in persecutione Alexandri imperatoris diutius fame cruciatus et quotidie fustibus cæsus, per visionem a presbytero suo Calepodio, qui antea martyrium consummaverat, confortatus et consolatus est: qui in carcere eodem positus quemdam militem, nomine Privatum, ab ulcerum dolore ac fœditate simul et infidelitate curavit. Quod audiens Alexander, ipsum quidem militem fecit plumbatis deficere: beatum vero Calixtum per fenestram domus præcipitari; et ligato ad collum ejus saxo in puteum demergi, et in eum (sic) per rudera cumulari. Post dies vero septemdecim presbyter ejus Asterius, cum clericis noctu veniens, levavit corpus et sepelivit in cœmeterio Calepodii pridie Idus Octobris. » Legesis num. 8 et 9 Actorum, eadem fere verba reperies: idem experiere, si Adonis verba cum Actorum verbis conferre volueris. Unde efficitur, Acta S. Callisti sæculo octavo, quo Beda floruit, esse, et multo quidem fortasse, antiquiora.

Cum enim Beda his Acta antiquiora non repererit, nec vero simile fiat tum recens, cum Martyrologium suum Beda confecit, fuisse exarata, est sane cur jam Bedæ ævo vetusta fuisse, non inficiemur; quam obscurum incertumque admodum sit, quo primum sæculo nata sint. Petrus Morettus ecclesiæ S. Mariæ trans Tiberim Canonicus, tom. I de S. Callisto papa et martyre ejusque basilica, anno 1752 typis Romanis edito, Disquisitione 1, cap. 9, multa erudite congescit, quibus probare contendit, scripta esse (vide citatum cap. num. 67, pag. 212) « cum nondum excidisset memoria gestorum, quippe quæ (S. Callisti Passio, et quidem qualis hodie legitur), ad usum fuerit Romanæ Ecclesiæ primis post concessam Christianæ religioni tranquillitatem sæculis. » Ac proinde, » Maxima hinc, inquit, scriptio antiquitas nec minor propterea auctoritas. »

## ACTA MARTYRII.

1. Temporibus Macrini et Alexandri (1) divino incendio concremata est pars Capitolii a meridiano, et intra templum Jovis ruit manus sinistra aurea et eliquata est. Venerunt autem aruspices et sacerdotes ad Alexandrum, dicentes ut sacrificiis placarentur dii eorum. Hoc audito jussit Alexander fieri petitionem eorum. Et dum sacrificarent, subito cœlo A sereno, mane die Jovis (2), fulmine divino mortui sunt quatuor sacerdotes idolorum, et ara Jovis incendio concremata est (3): et factus est dies obscurus, ita ut omnis populus Romanus fugeret foras extra muros. Et dum dispergeretur populus per fugam, venerunt trans Tiberim in urbem ad templum Ravennatum (4), et audierunt in quodam cœnaculo

(1) « Hæc, inquit Henschenius, infra non raro citandus, tom. II Maii pag. 501 in Adnotatis ad Passionem S. Calepodii et Soc. MM., claritatis causa ita legenda forent: « A temporibus Macrini usque ad tempora Alexandri hæc gesta sunt. » Successit Antonio Caracallæ mense Aprili occiso Macrinus anno 217: Macrino Heliogabalus extinctus anno 222 die vi Martii ex Pagii calculo; secundum Henschenium, x. Zephyrinus papa obiit anno 217, die xxvi Julii; successit Zephyrino Callistus die probabilius secunda Augusti, martyrio coronatus die xii Octobris, anno Alexandri primo.

(2) Videsis dicenda not. 24.

(3) Additur in ms. Ultrajectino: « Anno Domini cccii. » Henschenius cit. Porro nihil hactenus narrata præ se ferunt incredibile, cum et Suctonius

his non admodum absimilia in Galba scribat: « Novissimo Neronis anno . . . tacta de cœlo Cæsarum æde, capita omnibus simul statuis deciderunt: Augustique sceptrum e manibus excussum est. » Ex Moretto in Adnotatis in Passionem S. Callisti.

(4) Verba sunt minus ordinatim collocata: rectius scripsisset auctor: « Venerunt trans Tiberim in urbem Ravennatum ad templum, » in cujus nempe cœnaculo Christianos psallentes Romani ex Urbe fugientes audierunt. Videtur id templum idem esse, quod a Callisto jam ante sacris Christianorum usibus addictum, ac S. Mariæ dedicatum, Alexander, adhuc forte cæsar, Heliogabalo res publicas parum curante, repulsis popinariis, Christianis adjudicavit.



multitudinem Christianorum psallentem : inter quos erat Calixtus episcopus cum clero suo. Audiens autem hoc unus ex consulibus (5), nomine Palmatius, multitudinem Christianorum collectam in quodam loco, nuntiavit Alexandro dicens : Magne Princeps, hoc signum ideo factum est, quia civitas sordescit. Si ergo purificata fuerit, gaudebimus simul de gloria culminis vestri et Respublica fulgebit. Alexander dixit : Purificetur. Tandem declara nobis, quæ est ista purificatio? Respondit Palmatius : Ut profani non sint. Alexander dixit : Qui sunt profani? Respondit Palmatius : Christiani. Alexander dixit : Ego præcepi semel atque iterum, ut ubicunque inventi fuerint, puniantur, aut offerant diis immortalibus libamina (6). Respondit Palmatius, dicens : Per claritatem vestram ego audivi, cum tristis essem propter signum quod factum est, quomodo canticis et incantationibus in quodam loco clamaret in regione trans Tiberim multitudo Christianorum : unde non mirum, si causa hæc fecit hoc signum.

2. Dixit ei Alexander : Accipe potestatem, ut ubicunque eos inveneris, trahas ad sacrificandum, ad placandos deos : aut certe exquisitis eos tormentis afflige (7). Tunc Palmatius, accepta potestate, collecta multitudine militum, venit trans Tiberim, ubi collecta erat multitudo Christianorum cum B. Calixto : inter quos erat Calepodius (8), senex presbyter : et venientes in quoddam cœnaculum (9), ingressi sunt decem milites : et cum ingressi fuissent omnes, hi decem milites subito cæci facti sunt. Respondit Calepodius senex presbyter et dixit : Filii mei, quem quæritis? Illi autem clamabant dicentes : Accendite nobis luminaria, quia obscuratus est ante nos locus iste. Dixit autem Calepodius presbyter : Deus qui videt omnia, ipse cæcavit oculos vestros. Tunc palpantes illi descenderunt cæcati. Hæc autem cum vidisset Palmatius, timore territus, fugiens nuntiavit omnia Alexandro. Eodem igitur die Alexander jussit milites, qui cæci facti fuerant, ut in conspectu suo ducerentur. Et dum cognovisset

(5) Consules anno 222 ordinarii fuerunt Heliogabalus et Alexander ; sed Heliogabalo potuit substitui Palmatius, quod Henschenius, vel id muneris antea gessisse, quod alii censent ; vel denique consulis appellatio paulo latius sumitur, quæ aliis etiam dignitatibus in Actis Sanctorum interdum attributa invenitur.

(6) Hujusmodi responsum Alexandri, nullo juris ordine servato, nec ullo specialim objecto crimine, nisi quod profani, seu Christiani essent, mortis sententiam, nisi diis sacrificarent, ferentis, nimium ab Alexandri humanitate et æquitate abhorret, quam ut ex ejus ore prolectum fuerit : illatum quidem S. Callisto cæterisque memoratis in hisce Actis Martyribus mortis supplicium est, sed, Alexandro invito ac in Ulpiani ejusve similium machinationibus, etsi contra animi propensionem, connivente potius, quam jubente.

(7) Idem esto de hoc responso judicium.

(8) Colitur die x Maii, ad quem Passionis ejus et Sociorum Acta illustravit Henschenius supra citatus.

A milites, cœpit clamare : O cives optimi! Videte artem magicam (10). Respondit Palmatius, et dixit : Si per magicam artem istud factum est, ubi sunt virtutes deorum nostrorum? Jubeat itaque pietas vestra afferri et immolari diis, ne pereat respublica propter eorum incantationes. Et præcepit Alexander ut immolaretur Mercurio, et responsa cognosceret. Emanavit autem præceptum (11) universo vulgo, ut omnes ad Capitolium accurrerent de urbe Roma, ita ut qui inventi fuissent in habitaculis suis die Mercurii (12), omnes interficerentur ; et misso præcone ita declaratum est, ut omne vulgus die Mercurii sine dilatione ad Capitolium cum principe conveniat : qui vero non accurrerit, capite puniendum se esse cognoscat. Occurrente die supra-

B dicto omnis populus Romanus ad Capitolium accurrit. Palmatius quoque cum omni domo sua venit ad Capitolium cum porcis et vitulis (13).

3. Et factum est dum occisione pecudum effunderetur sanguis, et incantarent carminibus sacerdotes ; virgo templi nomine Juliana, arrepta a dæmonio, clamabat dicens : Deus Calixti, ipse est Deus vivus et verus : ipse indignatus est pollutionibus Reipublicæ vestræ, et conteret regnum mortale vestrum, quia non adoratis veritatem. Audiens hoc Palmatius, solus cucurrit ad B. Calixtum in regione trans Tiberim in urbe Ravennatum ; et misit se præcipitans et introivit in domum ubi collecta erat multitudo Christianorum, et cecidit ante pedes B. Calixti, dicens : Cognovi Jesum Christum esse Deum verum, quem dæmones confessi sunt hodie : per ipsum te adjuro, ut liberes me a cultura dæmonum et lapidum : baptiza me sicut prædicas. Dixit ei Calixtus episcopus : Noli deridere errando veritatem. Respondit Palmatius cum lacrymis, dicens : Domine, non derideo : quia cognovi in cæcitate militum, et in responsione virginis, quia Dominus meus Christus tuus est. Respondit Calepodius senex et dixit ad beatum Episcopum : Beatissime Pater, petenti baptismum noli denegare. Eodem tempore indixit jejunium (14) ei uno die, et

(9) Partem superiorem templi, de quo ad not. 4.

(10) Palmatius quidem, quæ facta fuerant, Alexandro nuntiaverit : at is melius de Christianorum institutis moribusque, probe sibi cognitis, judicabat, quam ut ea magicis Christianorum artibus facta continuo crederet.

(11) Præceptum hujusmodi, ut ex sequentibus patet, et publicum et generale fuisset, saltem respectu Romanorum : at id ab ipsomet Alexandro datum fuisse, difficile creditu est : secus vero datum fuisse ejus nomine ab iis, qui et Christianorum flagrant odio, et, qua apud imperatorem valebant, auctoritate abutebantur.

(12) Vide infra not. 24.

(13) . . . . Mactatur vacca Minervæ,  
Alipedi vitulus, taurus tibi, summe deorum.

Ovid. lib. iv *Metamorphoseon*.

(14) Advertat lector animum ad antiquos ritus in baptismo servatos. Henschenius cit. Act. apost. cap. 2 v. 58, Petrus ait : Pœnitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi.



catechizavit eum : et allatam aquam de lympha putei, qui erat in eadem domo, benedixit . et deposito Palmatio in pelvim (15), dixit ei S. Calixtus episcopus : Credis ex toto corde in Deum Patrem omnipotentem, factorem visibilium et invisibilium? Respondit Palmatius : Credo. Et dixit ei : Et in Jesum Christum, Filium ejus (16)? Et iterum respondit : Credo. Et dixit ei : Et in Spiritum sanctum, Ecclesiam Catholicam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem? Et exclamavit voce magna cum lacrymis Palmatius : Credo, Domine. Eadem hora cœpit clamare et dicere : Vere vidi Dominum Jesum Christum verum lumen, qui me illuminavit (17). Baptizavit autem et omnem domum Palmatii, et uxorem et filios, et promiscui sexus numero quadraginta duos. Ab eadem die cœpit Palmatius omnem facultatem suam pauperibus Christianis erogare, perquirens regiones et cryptas, ut ubicunque inveniret aut in custodia aut abscondos Christianos, de facultatibus suis victum vel tegumentum ministraret.

4. Post dies vero triginta duos (18), requiritur Palmatius ab Alexandro, cui nuntiatum est, quia Christianus est, et aliis suadet. Tunc Alexander jussit eum præsentari. Qui cum tentus fuisset a quodam Torquato tribuno, et missus in custodiam Mamertini (19); post triduum (20) indicavit Alexandro Torquatus, Palmatium in custodia mancipatum. Tunc Alexander gaudens jussit eum sibi præsentari. Et vincetus catenis Palmatius ingreditur ante Alexandrum. Quem cum vidisset, jussit eum solvi, et dixit ei : Sic amens factus es, o Palmati, ut deseras deos, et quæras et colas hominem mortuum (21)? Palmatius tacuit. Dixit ei Alexander : Loquere fiducialiter : ne timeas. Respondit Palmatius dicens : Si datis licentiam, loquimur veritatem. Dixit ei Alexander : Excepta deorum injuria, loquere. Dixit ei Palmatius : Optime princeps, si advertas, non sunt dii, sed sunt factura hominum mortalium. Modo quidem cognoscat mansuetudo vestra, qui debent coli : qui sunt aut fabricantur a mortalibus, quales sint, vos judicate. Sed precor ego infelix claritatem vestram : dicas deo tuo ut loquatur, et cum interrogavero, respondeat : et cum hoc factum fuerit, non desero deos tuos, quos tu dicis? Dixit ei Alexander : Et quomodo a cunabulis tuis istos adorasti, et modo relinquis eos? Respondit Palmatius : Feci quasi infelix : modo autem cognovi quod verum est, de qua re precor Dominum Jesum Christum, ut ignoscat mihi, quia ignorans

(15) Ita Constantinus Magnus apud Anastasium Bibliothecarium in Vita S. Silvestri dedit « pelvim ex argento ad baptismum, pensantem libras viginti. » Ita idem. Plura si cupis, vide Morettum cit.

(16) Apud Morettum adduntur hæc : « Et dixit ei : Qui natus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine? Respondit Palmatius : Credo. »

(17) Lumen hæc videtur fuisse cœleste et insolitum.

(18) Ms. Vimerii « viginti duos : » Ado « triginta. » Hensch. cit.

A peccavi. Eadem hora subridens Alexander, tradidit eum cuidam Simplicio senatori, dicens : Habe eum penes te sine aliquo timore : et mollibus sermonibus revoca eum ad culturam deorum; talem enim hominem Republica necessarium habet. Accepto Palmatio, Simplicius senator vestimenta nobilia allata induit eum, et duxit in domum suam. Qui Simplicius præcepit uxori suæ, et majoribus domus suæ, ut omnem domum Simplicii in sua potestate haberet. Tunc Palmatius jejuniis et orationibus vigiliarum vacans, non cessabat cum lacrymis Deum Patrem omnipotentem orare, et Jesum Christum Filium ejus, ut poenitentiam ageret de errore suo.

5. Veniens autem ad eum quidam Felix nomine, cujus uxor clinica jacebat annis quatuor in lecto, misit se ad pedes Palmatii, dicens : Confessor Domini nostri Jesu Christi, exora pro ancilla tua uxore mea Blanda, ut liberetur de lecto doloris et ego percipiam baptismum cum ea; quia diu est, quod morbo paralytico tenetur et jam facultas nostra defecit. Tunc Palmatius, præsentate uxore Simplicii, cecidit in terram, et cum lacrymis orare cœpit cum Felice dicens : Domine Deus, qui illuminasti servum tuum, da mihi lucem æternam Jesum Christum : salva ancillam tuam Blandam, et alleva eam de lecto doloris : ut cognoscant omnes, quia tu es creator omnium rerum. Eadem hora venit Blanda pedibus suis currens ad domum Simplicii senatoris et dicens : Baptiza me in nomine Domini Jesu Christi, qui tenuit manum meam et sanavit me. Tunc Felix cœpit urgere B. Palmatium ut baptizaretur. Eadem hora B. Palmatius misit ad S. Calixtum episcopum : et veniens baptizavit Felicem cum uxore sua Blanda. Videns hoc Simplicius, cecidit ad pedes Calixti dicens, ut cum omni domo sua baptizaretur. Tunc B. Calixtus episcopus fiducialiter dixit : Congreget Dominus triticum in horreum suum (22), et catechizavit omnem domum Simplicii, et uxorem et filios et familiam ejus, animas promiscui sexus fere sexaginta octo. B. Calepodius presbyter gaudio repletus, cœpit clamare in domo Simplicii, dicens : Gloriatibi, Domine Jesu Christe, qui de tenebris dignaris ad lucem perducere facturam tuam, et de errore liberare. Hoc audiens Alexander, quia multitudo hominum baptismum percepisset per B. Calixtum episcopum, misit exercitum militum, ac tenuit omnes qui baptismum perceperant, quos præcepit capitis subire sententiam, et per diversas portas urbis Romæ capita eorum suspendi, ad exemplum Christianorum.

(19) Ad radicem Capitolii est locus, nobilitatus vinculis SS. Petri et Pauli et aliorum martyrum, uti sæpius diximus. Hensch. cit.

(20) Vide infra not. 24.

(21) Atqui Christum inter deos coluit Alexander ipse : non igitur amentiam Palmatio exprobravit, nec ita contemptum de Christo locutus fuerit.

(22) Verba hæc, licet in S. Callisti officio olim recitata, ex ejus Actis sumi potuere; nec ex ejus ore magis fortasse processerint, quam ea ex ore Alexandri, de quibus paulo ante.



6. Tenuit autem et B. Calepodium, quem fecit (23) A occidi gladio, et corpus trahi per civitatem sub die Kalendarum Maii (24) : ejus corpus jactari fecit in Tiberim ante insulam Lycaoniam (25). In ipsis diebus fugit B. Calixtus cum decem clericis suis, et abscondit se in domum (26) cujusdam Pontiani noctu, rogans pisces quærerere corpus B. Calepodii presbyteri. Quod inventum levantes de flumine, renuntiaverunt B. Calixto episcopo. Tunc gaudio repletus est. Quod corpus sanctum acceptum condidit cum aromatibus et linteaminibus, et cum hymnis, et sepelivit eum in cœmeterio ejusdem (27), sexto Idus Maii.

7. Ab eodem die (28) cœpit Alexander curiose quærerere B. Calixtum episcopum. Et divulgatum est ei, quod esset in domo Pontiani juxta urbem Ravennatium : misitque occulte trans Tiberim et tenuit eum : præcipiens ut in eodem loco fame cruciaretur. Qui tamen cum quarto die nihil victus accepisset, jejuniis et orationibus magis corroborabatur. Hoc audiens Alexander, jussit eum fustibus cædi omnibus diebus, et in eodem loco custodiae mancipari, ut si quis ad eum noctu veniret, occideretur. Cumque multis diebus (29) in custodia esset maceratus, venit ad eum B. Calepodius noctu per visionem, et consolatus est eum dicens : Firmus esto, Pater : quia corona tua jam perfecta est : ut accipias a Deo condignam laboris tui mercedem. Beatus autem Calixtus insistens orationi, non cessabat Dominum deprecari.

8. Frat autem ibidem quidam miles, Privatus (30) nomine, qui erat ulceribus plenus, et cruciabatur die ac nocte doloribus. Hic misit se ad pedes B. Ca-

(23) Martyrologium Bedæ: « Fecit occidi a Laodicio. » HENSCHENIUS.

(24) Scrupulum mihi movit dies prima Maii hic S. Calepodii neci assignata, num scilicet posita hac S. Calepodii necis epocha, quæ hactenus gesta in Actis dicuntur, ab Alexandri imperii principio usque ad Kalendas Maii anni 222 fieri reipsa potuerint. Sic ea Morettus Disq. 1 in Auctario, cap. 9 et 10, p. 248, fere disponit: Imperare Alexander cœpit anno 222 die vi Martii: ab hac die usque ad xiii ejusdem mensis potuit Alexander tabernam meritoriam, jam ante in Christianorum templum conversam, rescripto suo Christianis addicere, et Capitolium tangi fulmine, si non ante annum 222 ista contigerint. Factum fuerit Jovi primum sacrificium (vide num. 4) die xiv Martii, qui eo anno, littera Dominicali F, dies Jovis fuit. Accusari tum cœpti fuerint Christiani, tanquam malorum, quæ acciderant, auctores. Exin die xx Martii, qui dies Mercurii fuit, factum fuerit Mercurio sacrificium alterum, de quo num. 2. Tertius novo prodigio Paluatius baptismum petit: diem posterum (vide num. 5) jejuniis transigit: die xxii Martii baptismum recipit. Post dies xxxii (vide num.

lixi episcopi, dicens : Salva me ab ulceribus meis, quia credo Dominum Jesum Christum Deum vivum et verum, qui, sicut Blandam liberavit, potens est et me salvare, quia diu est quod consumor in afflictione doloris mei. Respondit B. Calixtus episcopus dicens : Si credis ex toto corde, fili, et in nomine S. Trinitatis baptizatus fueris, mundaberis. Privatus miles respondit : Ego credo, quia liberat et salvat me Dominus in baptismo, per manum tuam. Tunc B. Calixtus eum baptizavit, et ita a vulneribus et morbo, quo tenebatur, mundatus est. Et cœpit clamare dicens : Deus verus et Sanctus est Dominus Jesus Christus, quem prædicat B. Calixtus episcopus : quia idola vana et muta consumentur : Deus enim æternus est Christus. Quod iterum audiens Alexander, iracundia plenus, eo quod militem Privatum baptizasset, mittens fecit Privatum plumbatis cædi et deficere : Calixtum vero episcopum per fenestram domus præcipitari, ligatoque ad colum ejus saxo, in puteum demergi et in eo rudera cumulari (31).

9. Post dies vero decem et septem (32) venit presbyter ejus, nomine Asterius cum clericis noctu, et levavit corpus B. Calixti episcopi et honorifice sepelivit in cœmeterio Calepodii, via Aurelia, pridie Idus Octobris. Post dies autem sex (33) tenuit Alexander Asterium presbyterum : quem præcepit per pontem præcipitari. Cujus sanctum corpus inventum est in Ostia, et a quibusdam Christianis sepultum in eadem civitate sub die xii Kalendarum Novembris : regnante Domino nostro Jesu Christo qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

4), Palmatium requirit Alexander die Aprilis xxiv ; eique sistitur (vide num. 4) triduo post, seu die Aprilis xxvii. Sequenti triduo servatur Palmatius in ædibus Simplicii, Blanda et Simplicius baptizantur : quarto autem post die, seu Kalendis Maii, S. Calepodius ejusque Socii martyrium subeunt.

(25) Seu Tiberinam, nunc S. Bartholomæi dictam, ob ædem huic sacram. Ex Henschenio.

(26) Postmodum conversam in ecclesiam, S. Callisto sacram.

(27) Quod nimirum a S. Calepodio, cum junior esset, extrui potuisse Henschenius censet pag. 498.

(28) Quo, audita S. Simplicii ejusque familiæ ad fidem conversione, capi S. Calepodium ejusque Socios jusserat.

(29) Sed non admodum multis : nimirum 17.

(30) Alius a S. Saturo in Hieronymianis Martyrologiis ad diem xii et xiv Octobris annunciato.

(31) Anno probabilius 222, die xii Octobris.

(32) Verosimilius a S. Callisti captivitate numerandos ex Comment. præv. § 3, id est, a die circiter xxvii Septembris.

(33) Verosimilius ex dictis in Comment. præv. num. 55 a nece S. Callisti, seu die Octobris xviii.



## S. CALLISTI PAPÆ

EPISTOLÆ<sup>(34)</sup>(MANSI, *Concil.* I, 737.—Vide notitiam supra col. 112.)

## EPISTOLA PRIMA.

A

I.

AD BENEDICTUM EPISCOPUM.

*De jejniis quatuor temporum, et ut criminationem adversus doctorem nemo suscipiat.*

CALLISTUS archiepiscopus Ecclesiæ catholicæ urbis Romæ, BENEDICTO fratri et episcopo, salutem in Domino.

Fraternitatis amore<sup>2</sup> constringimur, et apostolico moderamine cogimur, ut consultis fratrum, prout Dominus dederit, respondeamus, eosque apostolicæ sedis auctoritate instruamus.<sup>2</sup> Gelasius ep. 9. <sup>3</sup> dist. 76 : Jejunium quod ter.

(34) Ant. Aug. arch. Tarr. dial. 4, libri 11, de emendatione Gratiani, testatur Calixti epistolas rejectas fuisse a selectis viris qui Romæ operam navarunt in Gratiano corrigendo. Idem sentiunt viri eruditi et res ipsa clamat.

(35) *Jejunium.* Jejunium Quatuor temporum non a Callisto pontifice, sed ab apostolis institutum esse, præter expressum sancti Leonis testimonium, ipse quoque Callistus hac epistola indicat, verbis sequentibus hisce : *quod ter in anno apud nos celebrare didicisti*; affirmans jam ante sua tempora trium temporum jejunia in Ecclesia servari esse solita; a se vero, quarti duntaxat temporis jejunium superadditum esse, ne Judæi, secundum prophetiam Zachariæ capite octavo, quater in anno jejunantes, in virtutis temperantiæ exercitio promptiores et alacriores esse dici possint. Jejunium mensis decembris, quod est unum atque præcipuum ex quatuor, tempore apostolorum, a Christianis observatum esse, indicat Lucas Actor. xxvii, his verbis : *Incipiebat enim periculosa esse navigatio, quia jejunium jam præterierat*; quasi diceret, ut exponunt Chrysostomus et Oecumenius, Quia hiernum illud decimi mensis jejunium præterierat, incipiebat esse periculosa navigatio, propterea quod hiems ageretur, qua navigantibus gravissima pericula imminet. Hoc igitur jejunium Callistus integrum non instituit : sed institutum ab apostolis scripto confirmavit, et, ut Bellarminus concedit, quarto superaddito saltem ampliavit. Vide Bellarminum *De bon. oper. in part.* lib. II, cap. 19; Baron. ann. Christi 57, num. 6 et 7. Sev. Bin.(36) *Quod ter in anno.* Baron. anno Christi 226, num. 6, putat legendum esse, *quater*, ex eo quod prophetiam Zachariæ citat, quæ quater in anno jejunandum esse admonet : aliter sentit Bellarm. loco prædicto, cujus expositio textui conformior esse videtur. Id.(37) *Ut sicut annus per quatuor.* His verbis Callisti pontificis tres causæ jejunii quatuor temporibus observandi indicantur. Prima, ne Christiani Judæis hac in parte remissiores viderentur. Constat enim ex verbis prophetiæ sequentibus Judæos quater in anno jejunasse solemniter jejunio : æquum igitur fuit ut Christiani, qui perfectiores Judæis esse debebant, etiam sua quatuor tempora haberent; quibus*De temporibus jejuniorum.*Jejunium (35), quod ter<sup>3</sup> in anno (36) apud nos celebrare didicisti, convenientius nunc per quatuor tempora fieri decernimus, ut sicut annus per quatuor (37) volvitur tempora, sic et nos quaternum solemniter agamus jejunium, per anni quatuor tempora. Et sicut replemur frumento, vino et oleo ad alenda corpora, sic repleamur jejunio ad alenda animas, juxta prophetæ Zachariæ vocem, qui ait:solemni ac communi jejunio per totum orbem jejunarent. Hanc eandem rationem instituti jejunii quatuor temporum, reddit etiam sanctus Leo sermone 7 de jejunio septimi mensis. Item sermone 4 et 6 de jejunio decimi mensis. Secunda est, ut his temporibus Deo supplicarem pro frugibus ac fructibus terræ ac pro iisdem perceptis gratias ageremus. Nam in iis quatuor temporibus, aeris temperies maxime variatur, ac fructus omnes cum frugibus vel seruntur, vel nascuntur, vel maturantur, vel colliguntur. Hanc rationem affert sanctus Leo sermone 2, 5 et 8 de jejunio decimi mensis. Tertia causa est, ut singulis mensibus certum aliquod stativum ac solemniter jejunium servetur, sicut singulis annis quadragesimale, singulis hebdomadibus feria sexta et quarta olim, nunc sabbato jejunatur, ac proinde quatuor anni temporibus tribus diebus unius hebdomadæ jejunemus, pro tribus mensibus : nimirum mense Martio jejunamus semel tribus diebus, pro primo, secundo ac tertio mense; mense Junio circa Pentecosten jejunamus per dies tres, pro tribus sequentibus mensibus, Junio videlicet, Julio, et Augusto; mense Septembri, pro septimo, octavo et nono; Decembri, pro decimo, undecimo ac duodecimo mense anni, scilicet pro Decembri, Januario ac Febuario. Idque majoris commoditatis gratia factum est. Hæc Leo serm. 9 de jejunio septimi mensis; et serm. 8 de jejunio decimi mensis, Amalarius *De offic. eccles.*, lib. II, c. 2. Quarta causa instituti jejunii Quatuor temporum est ordinatio clericorum : quæ cum his temporibus ordinarie per universam Ecclesiam fiat, omnes et singuli Christi fideles exemplo primitivæ Ecclesiæ, quam Actor. XIII, tempore ordinationis jejunasse constat, merito cum jejunio orant, ut Christus Dominus fideles operarios in vineam suam mittere dignetur. Et quanquam primi summi pontifices, ut perspicuum est ex libro Pontificali, ac testimonio Amalarii lib. II *De offic. eccles.*, cap. 1, mense Decembri tantum ordines sacros contulerint, tamen crescente ordinandorum numero, recte institutum est, ut aliis etiam tribus temporibus sacri ordines conferrentur : ita Gelasius epistola prima. Vide Bellarm. prædicto loco. Id.



*Factum est verbum Domini ad me, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Sicut cogitavi, ut affligerem vos, cum ad iracundiam provocassent me patres vestri, et non sum misertus; sic conversus cogitavi in diebus istis, ut benefaciam Jerusalem et domui Juda. Nolite timere. Hæc sunt verba quæ facietis: loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo; veritatem et iudicium pacis iudicate in portis vestris, et unusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris, et iuramentum mendax ne diligatis. Omnia enim hæc sunt quæ odivi, dicit Dominus exercituum. Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Jejunium quarti, et jejunium quinti, et jejunium septimi, et jejunium decimi erit domui Juda in gaudium, et in lætitiã, et in solemnitates præclaras; veritatem tantum et pacem diligite, dicit Dominus exercituum<sup>4</sup>. In hoc ergo omnes nos<sup>5</sup> unanimes oportet esse, ut secundum apostolicam doctrinam, idipsum dicamus omnes, et non sint in nobis schismata. Simus autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia<sup>6</sup>, in cuius operis devotione gratulamur dilectionem tuam esse consortem. Non decet enim a capite membra dissidere<sup>7</sup>, sed, juxta sacræ Scripturæ testimonium, omnia membra caput sequantur<sup>8</sup>. Nulli vero dubium est (38), quod apostolica Ecclesia mater sit omnium Ecclesiarum, a cuius vos regulis nullatenus convenit deviare. Et sicut Dei Filius venit facere voluntatem Patris<sup>9</sup>, sic et vos voluntatem vestræ impleatis matris<sup>10</sup>, quæ est Ecclesia, cuius caput, ut prædictum est, Romana existit Ecclesia. Quidquid ergo<sup>11</sup> sine discretionem justitiæ contra hujus disciplinam actum fuerit, ratum haberi ratio nulla permittit.*

## II.

*De criminationibus doctorum.*

Criminationes vero contra doctorem nemo suscipiat, quia non oportet filios reprehendere patres, nec servos dominos lacerare. Filii ergo sunt doctorum, omnes quos instruunt. Et sicut filii patres carnales, sic et hi patres debent diligere spirituales. Non enim bene vivit, qui non recte credit, aut patres reprehendit, vel detrahit suos. Doctores ergo, qui et patres vocantur, magis portandi quam reprehendendi sunt, nisi in recta fide erraverint. Nullus ergo doctorem per scripta accuset, nec nisi fideli et legitimo, qui etiam irreprehensibilem vitam ac conversationem ducat, accusatori respondeat:

<sup>4</sup> Zach. viii, 1-19. <sup>5</sup> S. Leo ep. 53 et 84. <sup>6</sup> I Petr. iii. <sup>7</sup> distin. 12: Non decet a capite. <sup>8</sup> I Cor. xii. <sup>9</sup> Joan. vi, 38. <sup>10</sup> idem habetur infra in decr. 2 Stephani I et Sixti papæ III. <sup>11</sup> Adrian. coll. 5 et 67. <sup>12</sup> Prov. xxvi, 4. <sup>13</sup> Sixti sententiæ 6, 167, 189, 205. <sup>14</sup> S. Leo ep. 53. <sup>15</sup> Eccl. xviii, 50. <sup>16</sup> Prosperi sent. 202, ex Aug. in ps. lvi. <sup>17</sup> canon. 9 conc. Nicæni. <sup>18</sup> conc. Rom. vi, sub Symmacho papa, 11, q. 5, Injustum iudicium, etc. <sup>19</sup> S. Prosperi sent. 179, ex S. Aug. ix Confess. c. 9. <sup>20</sup> ejusdem ex eodem in ps. xciii. <sup>21</sup> S. Ambr. ep. 21. <sup>22</sup> S. Leo ep. 52. <sup>23</sup> S. Leo ep. 31, cuius verba ut præcedentium auctorum detractis additisve quibusdam interpolata.

(38) Nulli vero dubium. Romanam Ecclesiam matrem et caput esse omnium aliarum Ecclesiarum, evidens testimonium notatu dignissimum hic traditur: plura testimonia vide apud Bellarm. *De Rom. pont.* Sev. Binius.

quia indignum est, ut doctor stulto et indocto, atque reprehensibiliter viventi, respondeat juxta stultitiam suam, dicente Scriptura: *Non respondeas stulto juxta stultitiam suam*<sup>12</sup>. Non bene vivit, qui non recte<sup>13</sup> credit. Nihil mali vult, qui fidelis est. Si quis fidelis est, videat ne falsa loquatur, aut cuiquam insidias ponat. Fidelis homo semper fideliter agit, et infidelis callide insidiatur, atque fideles et pie ac juste viventes perdere nititur, quia similis similem sibi quærit. Infidelis homo mortuus est in corpore vivente. Et contra sermones fidelis hominis vitam custodiunt auditorum. Doctorem enim<sup>14</sup> catholicum, et præcipue Domini sacerdotem, sicut nullo errore implicari, ita nulla oportet machinatione aut cupiditate violari. Dicente quippe Scriptura sancta: *Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere*<sup>15</sup>: multis hujus mundi illecebris, multis vanitatibus resistendum est, ut veræ continentie obtineatur integritas. Cujus prima est labes superbia, initium transgressionis et origo peccati: quoniam mens sponte avida, nec abstinere novit, nec pietati adhibere consensus. Nullus bonorum<sup>16</sup> inimicum habet, nisi malum, qui ideo esse permittitur, ut aut corrigatur, aut per ipsum bonus exerceatur. Quidquid ergo<sup>17</sup> irreprehensibile est, catholica defendit Ecclesia. Nulli imperatori<sup>18</sup> vel cuiquam pietatem custodienti, licet aliquid contra mandata divina præsumere. Injustum ergo iudicium et diffinitio injusta, regio metu aut jussu, aut cujuscunque episcopi aut potentis, a iudicibus ordinata vel acta, non valeat. Homini religioso parum esse debet<sup>19</sup> inimicitias aliorum non exercere, vel augere male loquendo, nisi etiam eas extinguere bene loquendo studuerit. Melior est<sup>20</sup> in malis factis humilis confessio, quam in bonis superba gloriatio. Omnes vero qui amant<sup>21</sup> vitam beatam, malunt eam tranquillitatis suæ et justitiæ statu currere, quam nostrorum peccatorum pœnis ultricibus interpolari. Memor enim sum<sup>22</sup>, me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere (39), cuius a Domino nostro Jesu Christo est glorificata confessio, et cuius fides omnes semper destruit errores. Et intelligo aliter mihi non licere, quam ut omnes conatus meos ei causæ, in qua universalis Ecclesiæ salus infestatur, impendam. Spero autem adfuturam<sup>23</sup> misericordiam Dei, quod cooperante ejus clementia, omnis pestifer morbus, ipso pellente, auferatur. et quidquid ipso inspirante atque auxiliante poterit salubriter fieri, cum tuæ fidei et devotionis laude

(39) Memor enim sum, me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere. Romanum pontificem successorem Petri esse, hic indicatur. Plura testimonia vide apud Bellarm. *De Roman. pont.* lib. ii, cap. 12, et multis aliis sequentibus. lb.